



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 75. Dantiscanorum furor in Catholicos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII. post Dei auxilium in humilitate imploratum fuisse assecutum diceret, ac probe ex sacris literis cognosceret, Calvinum errasse, & Ecclesias Gallicanas reformatione in Capite & membris, atque in ipsa doctrina indigere?

§. LXXV.

Dantiscanorum furor in Catholicos.

Gottfrid.
Hist. cont.
l. 9. p. 238.
& 267.
Relat. Hist.
Lat. p. 63.
& seqq.

Anno sequenti Lutherani quietis impatientes novis vexationibus Catholicos in Polonia, annexisque ditioribus opprimere moliebantur: præprijis enim Dantisci Templum B. Virginis dicatum & inique Catholicis olim ereptum summa pertinacia eisdem restituere recusarunt, contempta etiam Regis auctoritate, qui iterato hoc Templum vindicare incassum nitebatur: tandem vero ab eis nonnisi invitatis impetrabat, ut aream in foro liguario Catholicis pro extruenda alia Ecclesia concederent: Acrius autem die tertia Mensis Maij in Carmelitas tumultuabantur Dantiscani Sectarii, cum enim illi pro more in festo inventæ S. Crucis publicam haberent supplicationem, & Catholicus quidam Lutherano, qui admonitus coram Christi Cruci affixi imaginem caput detegere, petulantius renuit, pileum abstraheret,

mox

mox opificum famuli, alique scurræ Sæc. XVII.
 improbissimi turmatim magno numero A. C. 1678.
 confluerunt, ac Monachos, cunctos-
 que hanc supplicationem comitantes
 usque ad monasterium lapidibus in-
 sectati sunt; nec his contenti, ædes
 quoque in cæmeterio expilarunt, nec-
 non insana rabie in monasterium ir-
 ruentes, januis, fenestris, fornacibus,
 atque universis suppellectilibus con-
 fractis, in Templum penetrarunt, ibi-
 demque barbarorum more organum,
 Altaria, SS. Eucharistiæ receptaculum,
 Baptisterium, atque omnia, quæcun-
 que furibundis eorum manibus obvia
 essent, aut illis usui esse valerent, sa-
 crilega temeritate aut disjecerunt, aut
 furto abstulerunt. Tam vesana horum
 nebulonum petulantia justam Regis in-
 dignationem provocabat, cumque his
 furiosis ad excusandam tumultus, &
 rapinæ nequitiam nulla legitima pa-
 trocinaretur causa, præcipuos tantæ
 immanitatis Authores capite plecti ius-
 sit; Carmelitæ vero malum in bono
 vincere, in suæ Ecclesiæ schola edocti
 Regem adiere, supplices, ut reis vitæ
 veniam daret, ad quorum etiam pre-
 ces Rex, ne tanti criminis impunitas
 sectarios aliunde ad ejusmodi petulan-
 tias proclives ad similem alliceret ra-
 biem, nonnisi unicum ex præcipuis
 tumul-

Sæc. XVII. tumultus auctoribus die duodecima
A. C. 1678. Aprilis anno hujus sæculi octogesimo
 capitis supplicio mulctari, Religiosi
 vero in compensationem illati damni
 viginti quinque florenorum millia ex
 Urbis ærario numerari jussit: eadem
 vero die, qua hujus supplicii executio
 facta erat, denuo Sectarii opificum fa-
 muli, alique magno numero confluxe-
 rant, novosque tumultus concitare mo-
 liebantur: tempestive autem a militi-
 bus dissipati sunt, mox tamen inno-
 vata rabie quemdam Olivetanæ Con-
 gregationis Sacerdotem adorti multis
 plagis laceratum in platea semivivum re-
 liquere: quocirca Rex tribus edictis
 die vigesima Aprilis Magistratui præ-
 cepit, ut ejusmodi hominum cæcus
 & clandestinas eorum consultationes
 præpedire haud cunctaretur. Inde
 vero novo specimine comprobatum ha-
 betur, quo spiritu Sectarii ducantur
 & quam avide omnem aucupentur oc-
 casionem, ut fanaticum suum in Mo-
 nachos odium, insatiabilem Ecclesiæ
 stici spolii famem, & tyrannicam Ca-
 tholicos opprimendi sitim explere ve-
 leant: Præclari admodum Evange-
 licæ charitatis Sectatores, ac Chri-
 stianæ tolerantiae Præcones? Jam
 antea etiam die decima septima
 Aprilis Gedanenses Protestantes in
 Tem

Templo S. Joannis effrenati sui furoris Sæc. XVII.
A. C. 1678.
specimen edidere, cum Ohnmutho Lutherano Prædicanti suo non modo Cathedram interdicerent, sed etiam illum, dum primoribus stipatus, suggestum conscendere parabat, brachiis violenter comprehensum Templo extruderent.

§. LXXVI.

*Patrum Oratorii decretum contra
Jansenii & Cartesii placita.*

Annus fluxerat hujus sæculi septuagesimus octavus, quo Sacerdotes Oratorii Berulliani pro more Generalis suam, & quidem numero sextam Congregationem Parisiis in sua Domo prope Luparam habebant. Jam dudum summo animi dolore perceperant hujus Instituti Superiores, quod arcta cum Portu - Regiensibus familiaritas nonnullis Oratorii Presbyteris luem affricuisset, & Philosophica Cartesii placita noxia sanam doctrinam sensim eliminarent, hinc malo remedium tempestive opposituri, die decima sexta Septembris decretum in Sessione sexta unanimi suffragio condiderunt, cujus summa hæc est: „Nos præcedentis Congregationis statuto, circa doctrinam „in nostra Congregatione introductam
Hist. Eccles. Tom. LXIV. P „in-